

Genes. 19. Septuag. Arias.

verba faciens cum generis suis, vt eos saluos à periculis eriperet. Cumq; esset mane, cogebant eum Angeli, dicentes: Surge, Genes. 19. n. 15. Septuaginta, Urgebant Angeli. Arias, Vm faciebant Angeli. Compellebant Angeli iustum, quia apud generos moras trahebat, vt eos ab incendio liberaret, & moratus apud illos in periculo versabatur. In hoc negotio charitatis officia exercebat Lot: quomodo ergo periclitabatur? Tam periculose quis agit inter iniquos, vt etiam qui charitatis munus videtur exercere, si aliqualem morulam trahat, à discrimine, ac periculo non euadat immunis. D. Ambrosius lib. 2. de Abraham, cap. 6. Adhuc morabatur Lot, ait, vt persuaderet generis suis, & penè non profectus, non euasisset, nisi urgentibus Angelis egredi coactus esset.

Cum malis periclitatur iustus.

Ambros.

89. Matth. 27.

Sacro Parasceue manè videns execrandus Iudas sui criminis turpitudinem, abiens laqueo se suspendit, Matth. 27. num. 5. Cur acta diuina dispositione ordinatur, vt antequam Christus vitam exhalaret in Cruce, prius nefandus Proditor morte perimeretur? Cur huius mors in aliud tempus non referuatur, vt Resurrectionis trophæa videat, quibus & maximè crucietur? Pulchrè B. Isaias Abbas orat. 22. quæ nuncupatur de operibus hominis noui. Nec Dominus Iesus, ait, prius ascendit in Crucem, quam Iudam expulisset è medio Discipulorum. Quasi videbat Dominus suos Apostolos multum periclitari, si inter eos Iudas associatus adesset; ideo non prius Dominus Crucem ascendit, quam Proditor è vita discedat, ac in barathrum detrudatur. Vide hoc tom. 1. 2. & 3. verbum Societas.

Isaias Abbas.

Cum Iuda videbantur Apostoli veluti in periculo.

Matth. 15. Respondens autem Petrus dixit ei: Ediffere nobis parabolam istam. Num. 16. At ille dixit: Adhuc & vos sine intellectu estis? Num. 17. Non intelligitis, quia omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur.

VERSIONES.

Syriacus n. 15. Domine mi interpretare nobis parabolam hanc. Arias. Explica nobis. Euthym. Vatablus n. 16. Adhuc vos intelligentia caretis. Chrysostomus. Ahuc vos amentes estis. homil. 52. Syriacus n. 17. Nostis ne, id, quod intrat per os, in ventrem abire, & inde per expurgationem eici foras. Theophylact. Quod ingreditur in os, in aluum abit.

ALTER TEXTVS.

Marc. 7. n. 17. Et cum introisset in domum à turba, interrogabant eum Discipuli eius parabolam. Num. 18. Et ait illis: Sic & vos im-

prudentes estis? Non intelligitis, quia omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum communicare

Num. 19. Quia non intrat in cor eius, sed in ventrem vadit; & in secessum exit, purgans omnes escas?

EXPOSITIO VII.



VM semotus à turba introisset Christus domum, vt narrat D. Marcus, hæc facta sunt: nec enim coram omnibus omnia interroganda. Respondens Petrus, vt ait D. Chrysostomus homil. 52. Petri ardor silere non patitur. Theophylactus existimat, quod Petrus rectè intellexerit, quæ Christus dixerat, sed ignorantiam simulans quærit, quid significet illud: Omne, quod intrat per os, non coquinat. Vnde ait D. Chrysostomus, quod Petrus nutritus in lege videbatur zelare pro lege. D. Hieronymus, D. Paschasius, Euthymius, S. Thomas tenent, quod Petrus non intellexerit sententiam Christi. Quod bene deducitur ex subiunctis verbis Domini: Adhuc voc sine intellectu estis? Et Petrus quærit omnium Apostolorum nomine; & ideo dixit: Ediffere nobis. Magnum Caput Ecclesiæ Petrus, non pro se, sed pro omnibus quærit.

90. D. Marcus. Non coram omnibus interrogandum. Chrylost.

Theophyl.

Chrylost. Hieron. Paschal. Euthym. D. Thom.

D. Marcus scribit, quod omnes Apostoli interrogauerunt. Vnde ait Euthymius, quod Petrus inchoauit, alij sunt profecti. Si adit, qui magna incipiat, non deerunt, qui & sequantur. Interrogant Apostoli, quia sententiam Christi non intellegebant, vnde & eam parabolam dicunt; nam quamuis illius sensus esset clarus, tamen ipsi existimabant, quod aliud voluerit significare, quam verba præ se ferebant. Vnde Syriacus legit, Interpretare nobis. Arias, Explica nobis.

91. D. Marcus. Euthym. Si adit, qui incipiat, non deerit, qui sequatur.

At ille dixit: Adhuc vos. Tanquam si diceret: Quamuis vos meæ doctrinæ sitis assueti, Adhuc & vos sine intellectu estis; expertes estis intelligentiæ. Sæpe enim Christus docuerat, præsertim c. 5. 6. & 7. in quibus rebus consisteret hominis puritas, & impuritas; idcirco hic arguit suorum Discipulorum tarditatem, eosque vt omnium Magister docet, & instruit.

92. Syriacus. Arias.

Non intelligitis, quæ à me dicta sunt, & supertius audistis, quod omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, id est in stomachum vadit, & in secessum emittitur. Abulensis in Matth. 15. q. 47. existimat, secessum significare posteriorem viam à natura institutam ad emittendum. Tamen cum Syriacus habeat, Et inde per expurgationem eici foras; secessus hic significat locum, in quo venter exoneratur, vt exponunt recentiores Barradas, Lucas Burgenfis, Cornelius à Lapide; ac proinde ita à Græcis vocatur à seorsum sedendo. Sicut à Latinis latrina à lauando, seu latendo. D. Marcus ait, purgans omnes escas, nempe exitu suo puras relinquens. Dicitur autem id, quod in latrinam eicitur, purgare omnes cibos, quia ipsum est cibi fæx, & purgamentum.

93.

Abulensis. Syriacus. Barradas. Burgenf. Cornelius.

Porphyrius, & Iulianus Apostata calumniantur Christum, tanquam Philosophiæ ignarum, eo quod non omnis cibus, quod in os intrat, in secessum emittatur, sed pars eius melior in comedentis substantiam vertitur, vt eum alar, & augeat. Rectè D. Hiero

94.

D. Hiero

EXPOSITIO VIII.



VA autem procedunt de ore. Notanda est paronomasia, & anthithesis vocum: ait enim, non quod ingreditur in os, sed quod egreditur. De corde exeunt, declarat, vt aduertit Caietanus, quo sensu dixisset. Quod procedit ex ore, ne quis de sputo, vel vomitu acciperet; ait enim: Quæ procedunt de ore, de corde exeunt. De corde, hoc est, vt explicat Carthusianus, de intellectu, & voluntate. Corde enim maximè ad suas operationes anima vitur, ipsum enim subministrat spiritales, ac animales intellectus necessarios ad intelligendum, & voluntati ad amandum. Aristoteles voluit, sensum communem radicem habere in corde. Probabilius tamen Hippocrates, Galenus, & alij cum Suario lib. 3. de Anima cap. 31. num. 5. eum constituunt in capite. Cor tamen spiritus submittit capiti ad suas operationes. Et ideo communiter vsus obtinuit, vt cor pro anima, ac propriis illius functionibus, intellectu, scilicet, ac voluntate accipiatur.

95.

Carthuf.

Aristoteles.

Hippocrates. Galenus. Suarius.

Matth. 15. Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coquinant hominem. num. 18.

Num. 19. De corde autem exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia.

Num. 20. Hæc sunt, quæ coquinant hominem, non lotis autem manibus māducare, non coquinat hominē.

96.

Prouerb. 4.

Hugo. Inuidia homicidium generat.

VERSIONES.

Syriacus n. 18. Id autem, quod ab ore procedit, à corde manat

Vatabl. Theophyl. n. 19. Nam ex corde exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, conuiuia.

Græcus. Exeunt cogitationes malæ, inuidiæ, adulteria.

Euthym. n. 20. Hæc sunt, quæ impurum reddunt hominem; illotis autem manibus comedere, non impurum reddit hominem.

1. Reg. 18. Ecclesiast. 14. Matth. 20.

97.

ALTER TEXTVS.

Marc. 7. n. 20. Dicebat autem, quoniam quæ de homine exeunt, illa communicant hominem

Num. 21. Ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, auaritiæ nequitia, dolus, impudicitia, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia.

Num. 22. Omnia hæc mala ab intus procedunt, & communicant hominem.

QUESTIO XIII.

Quare Christus Dominus vitia ista nominauerit?

Ad quæstionem respondet Glossa quædam, quod per illa vitia nominata recensentur peccata, quæ sunt contra Decalogum: nullum est enim peccatum, quod ad peccatum contra Decalogum non reducat. In Decalogo autem septem sunt præcepta ad proximum, & sunt peccata hic nominata. Adulteria enim, & fornicationes contra illud: Non mœchaberis; non concupisces vxorem alienam. Homicidia, contra illud: non occides. Furta, contra illud: non furtum facies; & etiam contra præceptum de parentibus honorandis: nam qui parentes non honorat, iuri naturæ defraudat. Falsa testimonia, contra illud: Non falsa testimonia dices. Blasphemia

98. Glossa quædam.

Primo nominatur à Christo, quæ commo de hominibus aduertantur.



mia ponuntur contra tria precepta, quae sunt ad Deum in prima tabula. Nec obstat, quod Christus in ultimo loco haec nominaverit, quia praesua nimia charitate in homines, quae hominum commodo aduersabantur, primo recensuit.

99. Secundò respondent alij. Quòd Christus haec septem peccata expresserit, quia ad illa, omnia reducuntur, v. g. ad fornicationem omnis coitus, & usus membrorum illicitus, vt vult Carthusianus; & ideo pluraliter fornicationes; nam si de sola simplici esset sermo, fat erat dicere in singulari fornicatio.

100. Tertio respondendum est cum Abulensi q. 54. Quòd Christus in praesenti intendebat ostendere, quòd nihil intrans in os coquinabat hominem; sed vitia, quae à corde exeunt: & quamuis ad hoc fat esset dicere: Cogitationes malae: ad hoc explicandum posuit multas species peccatorum, quarum aliquas scribit D. Matthaeus, & plures refert D. Marcus; & quia valde longum esset recensere omnia vitia, in exemplum adauxit aliqua, & ea, quae sunt communiora.

101. Quartò, Christus apposuit haec peccata, caetera sub illis intelligens: qui enim vno peccato coinquatur, caeteris etiam implicatur, & qui ostium aperit vni diabolo, reliquos in se admittit. Erat in Synagoga eorum homo in spiritu immundo, & exclamauit, dicens: Quid nobis, & tibi, Iesu Nazarene? venisti perdere nos? Marci 1. n. 23. Immundus spiritus, qui expellebatur ab homine, vnus erat; & tamen tanquam de pluribus querimoniam ponit erga Iesum: cum enim vnus spiritus immundus superabatur, caeteri prostrati videbantur, non enim regnat vna immunditia, nisi connexa cum alijs; & ideo vna expugnata, caetera abiiciuntur. D. Chrysofostomus homil. 5. Quid dicit, ait, quid nobis, & tibi? vnus est, & de pluribus confitetur: In eo enim, quod vincitur, intelligit, & suos secum esse superatos.

Ait S. Stephanus Act. 7. n. 41. Vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hostiam simulacro, & latabantur in operibus manuum suarum. Conuerit autem Deus, & tradidit eos seruire militiae caeli. Vnum vitulum fecit Israel; & inde ad adorandam omnem militiam caeli, nimirum Solem, Lunam, & stellas prolapsus est. Sic enim res se habet, vt vnum peccatum multa secum trahat; & ex vna iniquitate in multas prolabitur homo. D. Cyrillus Alexandrinus in cap. 5. Amos. Vide diuinum Stephanum, inquit, testimonium dixisse, eos fabricasse vitulum, & ad colendam militiam caeli conuersos esse.



CAPVT II.

Chananaea clamans.

Matth. 15. Et egressus inde Iesus cessit in partes Tyri, & Sidonis.

VERSIONES.

Theophylact. Et digressus illinc Iesus. Varabius. Venit in fines Izour.

D. Paschasius In partes Tyri, & Sidonis, lib. 7. in quae vrbes proxima mari erant.

ALTER TEXTVS.

Marci 7. n. 24. Et inde surgens abiit in fines Tyri, & Sidonis: & ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere.

EXPOSITIO I.

OST narrata superiorem historiam, hanc de Chananaea scribunt duo Euangelista Matthaeus, & Marcus. Egressus inde, à terra nempe Genezar, in qua superiora peracta sunt. D. Basil. S. leuc. orat. 20. Egressus inde. Vnde? Vbi, diuina perficit, calumnias petiur; vbi, dum morbos sanat, fert contumeliam; dum beneficentia vritur, non creditur. In Genezar multa miracula fuerat Dominus operatus. Matth. 14. n. vlt. & tamen multa obduratione, ac ingratitude persistit; ex quo promeruit, vt à Domino derelingeretur. In partes Tyri, & Sidonis. Duae erant vrbes maritimae Gentilium valde celebres in prouincia Phoenicia, vicinae Galilaeae versus Septentrionem, monti Libano propinqua. Tyrus caput erat prouinciae; & vt notat Abulensis q. 55. multo praestantior Sidone ob multitudinem mercatorum, Ezech. 27. An in ipsam regionem fuerit Christus ingressus? dicam quaest. seq. in principio.

D. Marcus habet: Et ingressus domum. Addit Syriacus, quandam, scilicet hospitium quoddam loci illius. Et neminem voluit scire. Syriacus, Nolabat, vt quisquam ipsum sciret. Voluit voluntate humana, vt nullus sciret eius aduentum: se enim in hospitium recepit, vt tantisper à praedicandi munere requiesceret. De quo q. 2. Et non potuit. Quamuis enim more humano se occultaret, per ea, quae egit, non potuit latere. Et non est sermo de potentia diuina absoluta; nam secundum illam multi erant latendi modi; sed iuxta humanam dispositionem non valuit tunc latere: noluit enim Pater, vt omnino tunc Gentibus esset absconditus.

QUESTIO I.

Quare Christus abiit in partes Tyri, & Sidonis?

IN limine huius quaestionis dubitari potest: An Christus Dominus ipsos Gentium fines fuisset ingressus? Negant D. Paschasius lib. 7. in Matth. & Maldonatus in praesenti. Dicunt enim, quod solum venit in fines Galilaeae, vbi Tyrus, & Sidon sitae erant. Ne Iudaeis daret calumniandi occasionem, quòd ipsis derelictis, quibus erat promissus (inquit Paschasius) transibat ad gentes. Tamen, quod re vera venisset in partes Phoeniciae, vbi erant Tyrus, & Sidon, videntur docere D. Chrysofostomus homil. 53. Abulens. q. 56. Et hoc aperte colligitur ex D. Marco. Non enim ait Euangelista, venit in fines Galilaeae, sed ait: Abiit in fines Tyri, & Sidonis; & ingressus

gressus domum quandam, quae scilicet erat ad ipsos fines. Et postea eod. cap. 7. n. 31. vt habet nostra Vulgata, Exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem, ad mare Galilaeae. Ad fundamentum contrarium statim patebit solutio.

4. Ratio diffcultatis. Matth. 10. Prae lens quaestio inquit: Quomodo Dominus abiit in ipsas Gentium partes: ipse enim mandauit suis Apostolis: In viam Gentium ne abieritis, Matth. 10. n. 5. Quomodo ergo ipse in has vrbes ingreditur, quas suis Apostolis prohibebat?

5. Respondet primò D. Chrysofostomus homil. 53. Abulensis q. 57. Primum illud adducimus, ait citatus Chrysofostomus, quia non tenebatur ipse, quae Discipulis seruanda praecipit, omnino conseruare. Ipse enim non ardebat suis legibus, non enim illis erat inferior, sicut & Discipuli eius subiiciebantur.

6. Secundò, Euthymius, Theophylactus. Christus in praesenti nihil agit contra suum mandatum: nam illud datum praecipit erat de missione facta ad praedicandum, vt patet ex cit. Matthaei loco; at verò ad comedendum non erat illicitum, gentilium ciuitates ingredi; hancque de causa aliquando misit Christus suos Discipulos ad quandam Gentilium, & Samaritanorum locum ad parandos ibi cibos. Luc. 9. num. 52. Deinde citatum praecipit intelligendum erat de praedicatione publica; non verò de occulta: hic autem tranfit occulte, vt ait D. Marcus: Ingressus domum, neminem voluit scire. Si autem intenderet praedicare, omnibus se manifestaret. Vnde etiam nec curationem impendere intendebat, nisi magna mulieris instantia facta. Sic ait Euthymius: Non abiit praedicaturus, sed vt paululum requiesceret.

7. Tertio, D. Chrysofostomus citato loco: Considera omni beneficio dignam mulierem fuisse; non enim ausa fuit in Iudaeam abire, quando se ipsam indignam putabat: nisi enim is timor eam deterrisset, Ierusalem ipsa profecto petisset: quod partim ardore fidei sua, partim, quae terminos suos egressa fuerat, comprobatur. Humilitas eximia mulieris ipsam detinebat, ne in sanctam ciuitatem Ierusalem ad Christum quaerendum veniret: tanta ergo ipsa humilitas Christum attraxit, vt ad illos gentium terminos, non obstantes eius praecipit accederet, vt mulieri opitularetur, vt subueniret.

8. Quarto, & ad litteram. Videbat Dominus iram, & odium Pharisaeorum, & quod beneficijs, nempe sua doctrina, ac miraculis peiores fiebant: vt ergo hanc malevolentiam declinaret, tranfit in Gentilium fines, quales erant Tyrii, vt illis suam doctrinam, ac miracula, quae Iudaei contemnebant, impertiri inchoaret.

9. Quintò, D. Hieronymus, D. Paschasius lib. 7. in Matth. Scribit, inquit, & Phariseis calumniatoribus derelictis, transgreditur in partes Tyri, & Sidonis, vt Tyrios, Sidoniosq. curaret. Expende illud: Cum multis vitijs essent infecti, ob calumniacionem tamen maxime merentur à Domino deserui. Ad nostrum intentum. Cum Iudaei increduli persistissent in sua malitia, nolentque recipere diuinam doctrinam, à Domino datam, de obseruatione escaerum, quae eis erat conueniens, & necessaria; cumque malitia sua se indignos effecissent Pharisei; ad fines Tyri, & Sidonis tranfit, vt tanquam omnium bonorum auxiliator eis subueniat, gentes ad se aduocet, ac ducat. ipse enim gratia sua nos praenit ad bonum opus nostrae salutis, vt de fide est certum ex Concil. Trident. sess. 6. can. 3. de iustificatione. D. Bernardus Epistol. 146.

ad Burchardum Abbatem. Tu ergo, frater, agnosce te praenitum in benedictionibus dulcedinis, non à me, qui nihil sum; sed ab illo, qui me, vt de tua salute mouerem, aspirando praenit.

Ait Regius Vates Psal. 76. num. 11. Nunc coepi: haec mutatio dexterae. Excelsi. Agnosce, se incepisse iam in bonis operibus; hoc tamen fatetur, non à se, sed à gratia diuinæ manus praenitisse. D. Hieronymus lib. 2. aduers. Pelagian. cap. 7. Insti vox est, ait, qui post medicationem somni, & conscientia Cruces, ad extremum ait: Nunc coepi, praenitiam agere (qui enim, vt debet, praenitiam agit, illico instus efficitur) vel scientia lumen intrare; & haec ipsa de bonis ad meliora mutatio, non mearum virium, sed dexterae, & potentia Dei est.

Dilectus meus mihi, & ego illi. Cantic. 2. num. 16. Prius commemorat Dilectum sibi adesse, quam se ipsam suo Dilecto: imò fatetur sui Dilecti gratia esse praenitam, vt ipsa toto amore, ac affectu in eum feratur. D. Bernardus serm. 67. in Cantic. Sponsa relictus, ait, locuta est, non praenitens meritum, sed praenitens beneficium, & se praenitam Dilecti gratia confitens.

QUESTIO II.

Quare Christus voluerit, quòd nemo sciret eius aduentum?

12. I t D. Marcus in suo textu, quod Christus D. ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere: circa quae duo inquitenda sunt. Primò: Quare voluit, neminem scire? Secundò: Quare non potuit latere?

Ad Primum. Ait Beda, Dominum praecipisse Discipulis ne cuiquam in Regione ignota, quis ipse esset, aperirent. De hoc tamen rationem inquirimus. Primò, Euthymius ait, quod illic venit requiescendi causa. Secundò, Theophyl. D. Paschas. lib. 7. in Matth. Ne vllam Iudaeis daret calumniandi occasionem, quod scilicet ipse non esset Messias Iudaeis promissus, siquidem illis relictis, tranfret in partes Tyri, & Sidonis, gentilium nempe ciuitates. Haec est enim magnotum virotum consuetudo, calumniandi nimirum anam amputare. Tertio, Quia adhuc non erat praedicandi gentibus praescriptum tempus. Res enim in sua occasione, ac tempore operanda. Quarto, Cum Christi nomen iam totum orbem impletet, veniens in fines Tyri, & Sidonis voluit latere, vt gloriam, & honorem ab illis hominibus ei deferendum, fugeret. Vide multa tom. 1. 2. & 3. Verbo laetantia.

Secunda quaestionis pars inquit: Quomodo ait D. Marcus: Neminem voluit scire, & non potuit latere: Nam velle, & non posse, non est diuinæ maiestatis, sed humanae infirmitatis. Scriptum est enim: Omnia quaecumque voluit Dominus, fecit in Caelo, & in Terra, in mari, & in omnibus abyssis. Psal. 134. num. 6. & Apostolus ait: Voluntati eius quis resistit? Rom. 9. num. 19.

Rectè respondent Agatho Papa in 6. Synodo. in Epist. ad Augustos; & D. Damascenus lib. 3. de fide. cap. 17. Voluit latere, secundum voluntatem humanam; nam ingressus domum, veluti occultans se, Discipulis praecipit, sicut ait supracitatus Beda, vt silentium tenerent: attamen non potuit latere per haec media; voluntas enim illa non fuit omnino absoluta, & efficax. Voluntas efficax semper

15. Agatho. D. Damasc.

B 4 omni